

IOANNIS FABRICII MONTA- NI POEMATA.

Syluarum liber unus.

De consulibus Tigurinis lib. primus.

De Vivilhelmo Thellio Elegia.

CVM EPITHALAMIO IO-
annis Alti Francobergensis.



TIGVRI APVD GESNEROS
fratres.

S Y L V A R V M L I B E R .

9

Luxuria tellus sufficit una parum.
Quærimus extremo lapides oriente iacentes,
Per mare sollicitis aduehimusq; vijs.
Ah quenquam rapidis vitam committere ventis,
Et maris audaci pectore ferre minas.
Quam potius laudandus is est, qui rura paterna
Incolit, in parua consenuitq; casa.
Ipse manu curui stiuam moderatur aratri,
Filius at tardos increpat ante boues:
Filia postq; comes, fert prandia nota canistris,
Aut in fagineis lac niueum patinis.
Mensa dehinc humilis viridi componitur umbra,
Garrula qua gelido murmurat vnda pede.
Interea coniunx obseruat rustica villam,
Cum puerisq; domi vescitur ante focum,
Aut etiam ante fores: tunc circum rustica pubes
Accubat herboso cespite fulta latus.
Caseolum tamen interdum premit illa recentem,
Atq; fatigato lacte butyra parat.
Infirmas aut tondet oves, aut vellera signat,
Aut versat celeri stamina longa manu.
Si non vana precor liceat cum coniuge fida,
Sic mihi perpetuo viuere, sicq; mori.

A D I O S I A M S I M L E R V M .

Sic Iosia boni numinis alite,
Te dedis teneris victus amoribus?

N 8

Leeti sic obiens munia comparis

Constresces fieri pater?

Felix quem placido lumine conspicit

Non auersus amor:cui dea Cypria

Aequis dat pariter feruere flammulis:

Non præter solitum potens.

Felix es nimium,cui sacer obtigit

Bullingerus,ab hinc notus ad usq; vir,

Terrarumq; sinus,& maris ultimos:

Quo sol surgit,& occidit.

Thesauris Arabum sorte beatior

Idem sed tamen es,atq; opulentior:

In cuius thalamum iam datur & sinum,

Exoptata puerula.

Quam mater monitis imbuit optimis,

Formauit q; pijs sedula moribus,

Perfectamq; dedit:pectore Palladi,

Susannæ similem fide.

Non est quod timeas esse decentius

Illa, non aliquid pulchrius, orbita

Qua lunæ vaga, qua Cynthias ambulat,

Intra aut Oceanum supra.

Nuptam tolle tuam, moxq; iugalia

Leeti iura doce, moxq; parentium

Leges, atq; vices coniugij pares:

Multis non sine liberis.

Sic vos unanimes nodus aheneus,

Sic irrupta duos copula vinciat;

S Y L V A R V M LIBER.

Vestrae sic memorem stirpis originem,
Vobis ora parentibus,
Seruet progenies tarda nepotibus.

Hæc oro: Deus at mox precibus meis,
(Namq; is vota bonos ducit ad exitus)
Addet supplicibus fidem.

A D I O A N N E M H Y L E R Y M.

Crebrescunt Zephyri tepentis aura:
Nec iam prata gelu rigent acuto,
Sed terræ violas ferunt solutæ,
Et gemmante sinum colore pingunt.
In sylvis volucres queruntur altis:
Argutis nemorum comis susurrans
Lympha riuiulus obſtrepit ſonante.
Has tu delicias amice ſolus
Gustas? ô tua ter quaterq; felix
Vita, qui procul urbis à tumultu,
Sylvas inter & optimos libellos,
Manes imperioſa iura fati.
O nunc unaniſi tuo ſodali,
Bigæ Triptolemi citæ darentur:
Ad villam cupide tuam volare.

D E P A U P E R T A T E.

Paupertas odioſa viris, odioſa puellis:

Et gement plenis stagna refusa vadis,
 Sertaq; vernarent tumulo natiua sub ipso,
 Et querulae canerent flebile semper aues.
 Vade, sed admonitu nostri, spes contrahe laxas:
 Quo minime credis stant tua fatal loco.

Ad HVLDRICHVM SPAAN.

Chare senex, venerande pater, quin linquimus urbe?
 Quin simul in medios expatiamur agros?
 Tellurem referat genitabilis aura Fauoni:
 Flos tener in pratis murice tinctus hiat.
 Nonne vides sylvas undare comantibus umbris?
 Nonne recens folijs luxuriare nemus?
 Vade age chare senex, plantis innecte perones,
 Et lateri telum sesquipedale tuo.
 Non opus est petaso: caput obvia vincet arbos:
 Quid nocet Herculea fronde ligare comas?
 Semideos haec forma decet: non dispare cultu
 Sylvicolas viri Faunus Hamadryadas.
 Capripedi sed grata deo dant pocula fontes:
 Turgeat annoso nostra lagena mero.

IN IMAGINEM IOANNIS FRISII
Tigurini.

Si vultum velut exprimunt colores,
 Sic & Frisi bonas tui referrent
 Dotes pectoris, elegantiamq;

Morum

Morum: tres charites daret tabella
Uno tergeminis in ore pietas.

AD PETRVM LOTICHIUM SE-
cundum, poetam.

Reddita Petre tuis mihi nuper epistola verbis,
Spem dederat reddi te quoq; posse mihi.
Sed quid speravi miser? aut quæ somnia finxis?
Non venisti nosq; longius ire cupis. uenies ad.
At quanti fuerat dextræ coniungere dextram?
Et mihi seu salue dicere, siue vale.
Scilicet extinxit veterem noua Gallia curam,
Plusq; valet lachrimis Italis ora meis.
En tibi cum lachrimis supplex mea brachia tendo:
Flecte precor cursus ad mea vota tuos.
Non ego te iubeo saevas accedere Syrtes,
Non maris iratum sollicitare fretum.
Ut venias oro mihi quem vicinia iungit:
Quid facturus eras si via longa foret?
Nunc subit illius mihi tristis imago diei,
Quæ nos Saxonis ultima vidi agris.
Elebas discedens, non hoc quoq; credo negabis,
Et lachrimas inter singula verba dabas.
Sæpe valedicens, iterumq; iterumq; redibas:
Sæpe tuam comites increpauerent moram.
Tecum dicebas, superet modo vita, Fabrici
Omne lubens magni metiar orbis iter.
Sic tu dicebas, sic credulus ipse, vicißim